

opus esse sententiâ declaratoriâ, dum, quod notorium est, declaratione haud indiget. 38 Enimverò, cum multa dicantur notoria, quæ talia non sunt, uti dicitur in *cap. consultis* 14. de Appellat. omninò necessarium est, ut, prius-

quàm aliquid pro notorio haberi possit, de notoreitate constet non solàm quoad existentiam sed etiam formalitatem criminis, quòd nempe nullò colore excusari vel palliari valeat, prout notatum est in *lib. 5. tit. 1. c. 4. à n. 148.*

QUÆSTIO VI.

Quandònam forum ex L. Diffamari locum habeat?

39 **I**D quidem ex hoc *cap. à num. 375.* affatim expositum opinor; poterit nihilominùs per modum mantissæ subnecti I. diffamationem, ceu fundamentum iudicii, ex *cit. l. debere* non tantùm præcedere, & probari, sed etiam injustam esse: nam, ut in terminis scribit David Mevius *part. 7. decis. 62. num. 2. & seqq.* quod pro jure consequendo intenditur, pro diffamatione non est habendum, nec ejus causâ processus ex *l. diffamari* decernendi sunt. Covarruv. *lib. 1. Var. resolut. cap. 11. num. 6.* nam juris executio injuriam non habet *l. injuriarum* 13. §. 1. ff. de Injur. & *L. diffamari* ad eos tantùm pertinet, qui sine iusta ratione vel causa aliquid proferunt. Contardi in *comment. ad d. l. diffamari cap. 4. n. 77.*  
41 II. neque diffamationem sufficere, quam fecit procurator, nisi speciale mandatum habeat, aut ratihabitio principalis subsequatur per *l. un. §. 2. ff. si quis jus dic. l. creditor* 60. §. ult. ff. Mand. Contardi *d. l. num. 156. & seqq.* Neque etiam diffamationem tutorum aut curatorum pupillis aut minoren-

nibus officere *arg. d. l. un. §. 2. ff. si quis jus dicenti &c. & l. qui fundum* 7. §. 3. ff. pro empt. Contardi in *d. Comment. cap. 3. num. 60. & 2. seqq.* III. agenti ex *l. diffamari* non licere 43 actiones alias accumulare: tum quia remedium ex *d. l.* habet naturam prorsus singularem, utpote in quo juxta Gailium *lib. 1. observ. 9. num. 7.* & communem DD. diffamatus & implorans sustinet personam rei, & diffamans seu imploratus subit vices actoris, ac contra Juris regulam, in *l. un. Cod. Ut nemo in vitis agere &c.* contra voluntatem sub comminatione vel conditione silentii per tui ad agendum compellitur: ideòque cæteræ actiones, quas nemo invitatus intentare cogitur, ob indolem planè contrariam cum dicto remedio conjungi nequeunt: tum 44 quia, si alia & ordinaria remedia alicui competant, non est locus huic remedio extraordinario *arg. l. in causa* 16. in princ. ff. de Minor. Contardi *d. l. cap. 4. num. 97. & seqq. & cap. 5. n. 33.* Mevius *p. 1. decis. 144. n. 3. & seqq.*

CAPUT IV.

De Objecto Judicii.

SUMMARIA.

1. *Causarum matrimonialium Judex est Episcopus.* 2. *An Episcopus possit earum cognitionem alteri delegare?* Ratio dubitandi ex Concil. Trident. 3. & seq. Solvitur ista, & probatur affirmativa. 5. & seq. Attingitur stylus Curia. 7. *An Abbates nullius possint cognoscere de causis matrimonialibus?* 8. & seqq. Tenetur & defenditur, quòd sic. 11. & seq.

Consuetudo immemorialis respectu Prælatorum inferiorum non est à *cit. Trident.* sublata. 13. Illis tamen à Curia Romana committi non solent. 14. Bene verò Abbatibus nullius. 15. Animadverso circa pauperes litigantes. 16. De causis criminalibus remissivè. 17. & seqq. *Causarum feudaliùm Judex paucis describitur.*

QUÆSTIO I.


Quisnam sit Judex causarum matrimonialium?

1 **J**udicem ordinarium esse Episcopum & ejus Vicarium, constat ex *præs. cap. à num. 24.* An verò Episcopus & ejus Vicarius de necessitate causas matrimoniales cognoscere debeant, neque eis licitum sit, cognitionem alteri cuidam Prælato, Archi-Diacono, Decano &c. delegare? Dubium facit Concil. Trid. *sess. 24. de Reformat. cap. 20.* ubi has causas non Decani, Archi-Diaconi, aut aliorum inferiorum iudicio, sed Episcopi tantùm examini

& Jurisdictioni relinquendas esse, decernit; etiam si in presenti inter Episcopum & Decanum, seu Archi-Diaconum, aut alios inferiores super causarum istarum cognitione lis aliqua in quacunque instantia pendeat: quamobrem etiam Romana Curia non solet easdem causas aliis committere, quàm Episcopis, uti attestatur Abbas in *cap. si pro debilitate num. 4. de Off. Deleg. & Decius in cap. proposuisti in princ. de Prebat.* apud Sbrozz de Vicar. Episc. *lib. 2. cap. 43.*

3 *cap. 43. num. 13.* Quia verò memoratum decretum Concilii non in odium, sed favorem Episcoporum, emanavit; neque Episcopis inhiuit, ne causas matrimoniales, quas cæteroquin de Jure Communi per se vel alios, ad hoc deputatos, cognoscere valent per textum in *cap. accepisti* 1. in verb. ad Episcopum aut ejus missum &c. de Frigid. & maleficiat. *cap. cum Episcopus* 7. vers. per se vel per alium &c. de Offic. Ord. in 6. aliis discutiendas delegent, sed tantùm voluit, ut Decani, Archi-Diaconi, & alii inferiores ex officio vel jure proprio ejus generis causas se non imisceant: communis sententia docet, etiam post Concil. Trid. causas matrimoniales aliis ab Episcopo delegari posse. Rebuff. in *praxi benefic. in forma Vicariatus num. 155.* Barbosa de Off. & pot. Episc. *alleg. 84. n. 15.* Engel ad *tit. de his, qui matrimon. accus. n. 2.* Pirhing *ibid. num. 16. König num. 7.* Wiestner *num. 9.* Schmalzgrueber *num. 11.* Nihil obstante stylo Curia Romanæ, quæ antiquitus causas matrimoniales etiam inferioribus Episcopis demandavit, ut patet ex *d. cap. proposuisti* 4. de Probat. *cap. ex literis* 4. de in integr. restit. *cap. literas* 13. de Restit. spoliar. *cap. ex literis* 1. de Consang. & affinit. Fagnanus in *cap. accedentibus de Excess. Prælat. n. 30.* Et, quidquid sit de stylo hodierno, in delegationibus causarum, quas faciunt Episcopi, non attenduntur illæ qualitates in Judice Delegato, quæ requiruntur in Delegatis Apostolicis per *cap. statutum* 11. in *pr. de Rescript. in 6.*  
7 Porro, cum Trid. Concil. *d. cap. 20.* causas Matrimoniales Episcoporum iudicio reservaverit cum clausula: *non obstantibus privilegiis, indulgiis, concordatiis, qua suos tantùm teneant auctores, & aliis quibuscunque consuetudinibus;* dubitari ulterius potest I. an etiam Prælati & Abbates, qui dicuntur nullius, dictarum causarum iudicium ademerit?  
8 Negativam operosè defendit Fagnanus ad *cit. cap. accedentibus num. 28. & seqq.* quia, licet istis Abbates suam Jurisdictionem quasi-Episcopalem cum separato territorio habeant ex privilegio Apostolico, de ipsis tamen Concil. non tantùm nullam fecit mentionem, sed &, si de Abbatibus in genere disposuisset, illos, qui Jurisdictione quasi-Episcopali gaudent, & sic Ordinariorum nomine veniunt, haud comprehendisset. Unde & S. Congregatio sæpiùs declaravit, hujusmodi Abbatibus committendas esse dispensationes matrimoniales quoad eorum subditos, in specie in causa Abbatis Nonantulani, Abbatis Castri durantis, & Abbatis S. Joannis in Venere. Fagnanus *d. l. num. 37.* Eminentiſſ. Card. Petra *tom. 5. pag. 109. num. 40.*  
10 ubi alias declarationes adducit. Et certè inter alias insignes prærogativas, quas Six-

tus V. & Urbanus VIII. concesserunt Abbati Montis Cassini, & novissimè confirmavit Sanctiss. D. N. Benedictus XIII. in sua Constitutione, quæ incipit: *quod inscrutabilis,* data nonas Augusti 1725. expressè continetur facultas, dispensationes matrimoniales, prædicto Abbati aut ejus Vicario Generali pro tempore directas, debitæ executioni mandandi.  
Dubitari potest II. an omnis consuetudo matrimonialis causas cognoscendi quoad Prælatos inferiores fuerit sublata? Et respondet mox *cit. Card. Petra pag. 108. num. 33. & seqq.* consuetudinem quadragenariam, etiam titulò munitam, fuisse sublata, non verò immemorialem: quantumvis enim Rota in *Theatina Jurisdic. decis. 41. & decis. 57.* post Tamburin. olim censuerit, quadragenariam cum titulò colorato subsistere; postea tamen hujus articuli discussione ad Sac. Congregat. Concilii delatâ, per eam, veluti privativè interpretem ejusdem Concilii, resolutum fuit, quadragenariam cum titulò non subsistere: quia Concilium sustulit omnem consuetudinem. Cum verò consuetudo immemorialis habeat præsumptionem tituli melioris & privilegii Apostolici, in forma amplissima concessi, ea per generalem abolitionem cujuscunque consuetudinis, absque speciali expressione, non censetur esse sublata. Rota coram Emerix *decis. 958. num. 5. & in nullius seu Fuldensis* 27. Aprilis 1705. §. 22. coram Molines Dec. Petra *to. 2. pag. 146. num. 3.*  
Interim, etiam si Abbas aut Prælati ex immemoriali consuetudine vel præscriptione jus cognoscendi de causis matrimonialibus fuisset consecutus, illis tamen à Dataria dispensationes matrimoniales committi non solent, sed Officiali seu Vicario Episcopi, in cujus diocesi est Abbas aut Prælati, veluti resolvit Sacra Congreg. apud Eminentiſſ. Petram *d. tom. 5. pag. 109. n. 39.* Abbatibus verò nullius cum territorio separato committi possunt, uti eadem S. Congregat. in *Messan. 20. Febr. 1611. & in Romandiola nullius* 25. Jul. 1599. apud *cit. Petram n. 39.* & in aliis apud Corradum in *Praxi dispensat. lib. 7. cap. 4. num. 60.* declaravit; non tamen ipsorum Vicariis, sicut ex stylo & rationibus refert Corrad. *d. l. n. 57. & 62.* exceptò Vicariò Generali Abbatis Cassinensis, de quo in *num. 9.*  
Porro de causis matrimonialibus in Trid. *d. l.* statutum est, quòd, si pars coram Episcopo verè pauperitatem probaverit, non cogatur extra provinciam nec in secunda nec in tertia instantia in eadem causa matrimoniali litigare, nisi pars altera & alimenta & expensas litis velit subministrare.



QUÆSTIO II.

Quis sit Judex causarum criminalium in foro Ecclesiastico?

16 DE his, cum cit. Concil. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 20. æquali tenore, sicuti de matrimonialibus causis, loquatur, quod nempe Episcopi tantum examini subsint, eadem

quoque decisio in casibus, priori quæst. propositis, adhibenda erit; exemplò laudati Cardinal. Petræ d. tom. 5. pag. 111. num. 47. & seqq.

QUÆSTIO III.

Quisnam sit Judex Causarum feudalium?

17 Dicitur id in cap. pres. à num. 63. & quòd Clericus Vasallus coram Sæculari Domino directo in causa feudali respondere debeat, definitum extat in cap. 3. à num. 280. 18 Quòdve etiam à contrario Vasallus Laicus conveniri possit coram Domino feudi Ecclesiastico, v. g. Episcopo, rectè deducunt Fagnanus ad cap. ceterum num. 6. de Judic. &

Card. Petra tom. 1. pag. 452. n. 9. Quòd 19 insuper in hoc posteriori casu in judicando servanda sint Jura Feudalia, utpote quibus Jus Canonicum non derogavit, & circa hanc materiam pauca admodum disposuit, statuunt idem Fagnanus in cap. qua in Ecclesiis de Constitut. num. 94. & seqq. & Petra d. pag. num. 16.

CAPUT V.

De Tempore Judicii.

SUMMARI A.

1. & seqq. Actus Jurisdictionis voluntaria, in quibus cognitio est necessaria, non posse exerceri die feriato, noviter stabilitur. 4. Etiam si per accidens requiratur cognitio. 5. Executio sententia etiam in causis civilibus fieri ne-

quit. 6. Resp. ad decisionem Rotalem. 7. Neque publicatio bonorum aut subhastatio licet. 8. & 9. Causa pietatis non excusat, nisi concurrat motuum misericordia. 10. Causa necessitatis debet esse gravis.

QUÆSTIO I.

Utrum actus Jurisdictionis voluntariae possint exerceri diebus feriatis?

1 D iscrimen feci in hoc cap. num. 43. & seqq. inter actus Jurisdictionis voluntariae simplicis, ubi causæ cognitio non requiritur; & alios, ubi ejusmodi cognitio est necessaria. Illos esse licitos; hos illicitos & invalidos, asserui. Cui assertioni ad stipulatur Eminentiss. Petra tom. 4. pag. 109. num. 20. & pag. 111. num. 27. allegans Rotam p. 3. lib. 3. divers. decis. 957. ac decisionem 1213. coram Emerix, quæ ob stare videtur, procedere dicit non in festis ad honorem DEI, sed in diebus Novendialibus post obitum Papæ. Ad stipulatur quoque Jacobus Pignatelli ro. 8. consult. 10. n. 8. ubi, licet ex declaratione S. Congregat. in Gallopolitana 26. Junii 1591.

referat, pauperes, qui ruri commorantur, permitti debere, ut diebus festis suos contractus facere possint; at tamen duplicem exceptionem mox subjungit ex alia declaratione in Cajetana 23. August. 1658. quando festa sunt solenniora, & quando contractus requirunt decretum Judicis; quales utique referuntur ad Jurisdictionem voluntariam, quæ causæ cognitionem desiderant. Imò, si per accidens accideret, ut in causa Jurisdictionis voluntariae simplicis apparet contradictor, eam die feriato expediri non posse, ob interponendam causæ cognitionem, advertit idem Petra pag. 110. num. 21.

QUÆSTIO II.

An executiones sententiarum aut decretorum fieri possint diebus feriatis?

5 N egamus cum Card. Petra d. l. pag. 110. num. 23. Quia executiones etiam pro debitis civilibus, quantumvis cognitionem causæ non exigant, sunt tamen complemen-

tum actuum judicialium, causant strepitum, ac majorem contentionem partium & perturbationem in populo generant, quam ipsa sententia. Rota decis. 36. num. 13. cum seqq. post

post Novar. in Summa Bullar. & decis. 9. n. 16. apud Posth. de Manus.

6 Equidem in aliam opinionem deflectere videtur Rota decis. 84. num. 3. & seqq. coram Pentinger; sed illam, quòd solummodò locum habeat in actu possessionis, non dependentis à sententia judiciali cum contradictore, explicat idem Petra num. 23.

7 Publicationes etiam bonorum & subhastationes, quæ ultimato complent executio-

nem, diebus festivis fieri non posse, satis convenit: nihilominus in pagis & villis de æquitate & consuetudine licitum esse, ut post Missam ante Ecclesiam parochialem denuntientur indigenis, qui alias convenire non solent, tradit Petra d. pag. 111. num. 24. & firmat Pignat. d. conf. 10. num. 8. in terminis subhastationis fœminæ; adductâ Sac. Congregat. declaratione in Nicoterensi 20. Octob. 1597.

QUÆSTIO III.

An & qualiter pietas aut necessitas actus judiciales vel jurisdictionales diebus feriatis reddat licitos?

8 C ausam pietatis ejusmodi actus reddere licitos etiam in sacris feriis, constat ex cap. ult. de Fer. At non qualibet causa pietatis sufficit, nisi conjuncta sit cum opere misericordiae, uti v. g. est causa dotis mulieris pauperis, aut causa alimentorum in futurum quoad illos, qui non habent, unde vivant. Card. Petra d. tom. 4. pag. 112. n. 31. & seqq. Pignat. d. tom. 8. consult. 10. n. 7. Antonell. de Temp. leg. lib. 4. cap. 9. num. 26. & seqq. 9 Unde in causis matrimonialibus, beneficiabilibus, decimalibus &c. quantumvis inter pias receleantur, illis diebus procedere non li-

cet arg. Clem. fape 2. in verb. in tempore etiam feriarum &c. de V. S.

Causa necessitatis non qualiscunque sufficit, sed ea gravis & urgens sit, ac cum periculo in mora connexa, opus est arg. cap. consilium 2. in fin. verb. cum urgens necessitas exigit &c. de Observat. jejun. Petra d. l. pag. 113. sub num. 33. ubi in num. 35. cum Antonello d. cap. 9. num. 18. & seqq. exemplum subdit de testibus, qui, si abitum meditentur, aut in vitæ sint discrimine, etiam in feriis sacris examinari possunt. Repetantur dicta in hoc cap. n. 14. & seqq.

CAPUT VI.

De Forma & Ordine Judicii.

SUMMARI A.

1. Causa, separata à principali, vel est incidens vel emergens. 2. Ultriusque convenientia. 3. & seq. Disconvenientia. 5. & seqq. Exponitur textus in l. 1. Cod. de Ord. Judicior. 8. Judex, delegatus ad causam principalem,

potest etiam cognoscere de incidenti. 9. & seqq. Speciatim delegatus ad cognoscendam causam possessionis potest etiam cognoscere de causa proprietatis, incidenter motâ.

QUÆSTIO I.

An idem ordo tenendus in causa incidente & emergente?

1 C ausam, quæ in judicio à principali diversa est, Clariss. D. Herz de Magistratu lib. 2. cap. 1. tit. 2. p. 1. num. 91. & seq. dividit in incidentem, & emergentem. Illam vocat, quæ jam ante judicium orta respicit merita causæ principalis; hanc appellat, quæ non ante sed intra judicium ex observatione solennium & ipso processu confurgit. Convenit utraque causa, quòd ab uno eodemque Judice sit tractanda, nisi una forsitan esset spiritualis juxta dicta à nobis in pres. cap. à num. 12. Disconvenit una ab altera, quòd incidens non statim decidi debeat per sententiam distinctam, sed instar exceptionis peremptoriae unâ cum causa principali per finalem & definitivam sententiam decidi possit, quemadmodum & nos docuimus in d. cap.

num. 26. & seq. econtrâ causa emergens, ad modum exceptionis dilatoria, de qua in hoc ipso cap. num. 25. ante definitivam sit decidenda, vel expresse & per interlocutoriam; vel tacite, post ejus cognitionem ad ulteriora procedendò.

Cæterum, cum ad demonstrandum, quòd causa principalis & incidens ab eodem Judice sit tractanda, crebrò allegetur l. adit 1. Cod. de Ord. Judic. non erit abs re, audire illius explanationem, quam suggerit D. Gerardus Noodt de Jurisdic. lib. 1. cap. 9. Proponitur in d. l. Fabius, factò testamento, & in eo instituto Titio hærede decessisse. Deinde nato posthumo dicitur de hæreditate Fabii lis orta inter Titium & posthumi tutores. Petit ille, hæreditatem ex testamento suam

suam esse; hi eam ab intestato judicant ex Lege, quod testamentum Fabii raptum esset agnatione posthumi. Id cum premeret causam Titii, movet is posthumo quæstionem. statûs, causatus, eum non testatoris filium sed servum esse. Hæc species Legis, in qua duplex quæstio, una de Jure, utrum posthumos ex Lege ab intestato, vel Titius ex te-

stamento sit hæres? altera de facto, an posthumus censeatur esse servus aut liber? Illa tantum à Magistratu, & sic à Præside provinciæ poterat tractari; ista à Judice dato per se loquendò disceptari debebat. Sed quia principalis quæstio movenda erat, & mota fuit, coram Præside; pariter quæstionem incidentem ab eo cognosci & definiri oportuit.

## QUÆSTIO II.

*An Judex delegatus super questione incidenti cognoscere possit?*

**R**esp. affirmativè. Ratio est: quia, non obstantè, quòd Judex delegatus accipiat strictam potestatem, nec possit à causâ expressa ad non expressam extendi: nihilominus potest cognoscere de causis connexis, etiam non expressis, ut puta de exceptionibus, tum peremptoriis, tum dilatoriis per cap. ex parte 13. cap. prudentiam 21. §. sexta de Off. deleg. Explorati siquidem Juris est, ait Cœlestinus III. d. §. sexta in f. ut delegatis Judicibus, quibus principale committitur, & accessorium committatur. Atqui causa incidens est causa accessoria ad principalem, & cum ea connexa, atque ad classem exceptionis aut peremptoriæ aut dilatoriæ reducitur. Ergo &c. Speciatim verò Judex, ad discutendam causam possessionis delegatus, potest etiam discutere causam proprietatis, in-

cidenter motam, & vicissim, per apertam sanctionem Innocentii III. in cap. ad hoc 1. de Sequest. possess. & fruct. ibi: C. Papa predecessor noster sic suum interpretatus fuit rescriptum, quòd tam causa possessionis quàm proprietatis fuerat Judici delegata, cum absolute & indistinctè commissa fuerit, & ejus consentientia dividi non deberet. Et quia in eod. cap. quæstio de proprietate primùm fuit mota post promulgatam de causa possessionis sententiam; dubitare non licet, illius discussionem eidem Judici delegato concessam esse: quamvis enim illius Jurisdictio expiret latâ sententiâ cap. in literis 9. de Off. deleg. id tamen solummodò verificatur, quando sententiam super tota causa pronuntiavit; uti post Abbatem in cap. pastoralis n. 11. de Causa poss. & propriet. tradit Clariss. P. Schmalzgrueber ad eund. tit. n. 56.

## CAPUT VII.

### De Effectu & Contrariis Judicii.

#### SUMMARI A.

1. Judicium redditur nullum de Jure ex omissione cujusdam solennitatis. 2. Aliud observatur in Supremis Germanie Dicastriis; 3. Aliud in Romanis Tribunalibus. 4. Cardinal. de

Luca conciliatur. 5. Instantia judicialis utroque Jure perimitur triennid. 6. & 7. Concilium Trid. sess. 24. de Reform. cap. 20. explanatur.

## QUÆSTIO I.

*Ex quibus causis Judicium reddatur nullum?*

**D**E Jure Communi non incertum est, Judicium reddi nullum, si vel una ex solennitatibus, ad ritè formandum processum præscriptis, omittatur. Verùm de hodierna consuetudine non solum in Supremo Dicastrio Imperiali Camera, de qua testatur Gail. lib. I. observ. 42. à num. 1. non attenduntur nullitates, quæ ex meris solennitatibus proficiscuntur; sed etiam in Romanæ Curia Tribunalibus tres duntaxat nullitates observantur, quæ nimirum ex defectu substantiali citationis, Jurisdictionis, & mandati oriuntur, veluti perspicuè defi-

nitum est à Clemente VIII. in sua constituc. quæ incipit: *litium dispendia*, datâ Anno 1593. quinto Id. Februar. & Paulo V. in constituc. quæ incipit: *universi agri* editâ Anno 1611. Calend. Martii. Et, quamvis Cardinal. de Luca de *Judic. disc.* I. num. 12. relatus à nobis in *hoc lib. cap. I. sub num. 77.* videatur asserere, etiam alias nullitates in Curia Romana considerari: attamen in *disc.* 38. num. 22. generatim adstruit, in Curia non attendi alias nullitates, quàm resultantes ex mox explicatis tribus defectibus substantialibus.

QUÆ

## QUÆSTIO II.

*Quandònam Judicium finiatur per lapsum temporis?*

**D**ixi in *hoc cap. num. 54.* Judicium, seu instantiam judicialem, utroque Jure in causis civilibus finiri triennid. Ne tamen obstet Concilium Tridentinum *sess. 24. de Reform. cap. 20.* ubi pro causis Ecclesiasticis definiendis biennium videtur præstitutum in *verb. causa omnes*, ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiale sit, in prima instantia coram Ordinariis locorum duntaxat cognoscantur, atque omninò, saltem infra biennium à die mota litis, terminentur; advertendum erit, vi ejusdem Constitutionis per lapsum biennii judicium non ipsò jure perimi, sed esse

in voluntate partium, an diutius in eodem tribunali persistere, an tribunal aliud accedere velint: ita enim se ipsum explicat Concilium in verbis mox subsequenter: *aliouin. post idem spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum, Judices Superiores, alias tamen competentes, adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant, & quamprimum terminari curent; nec antea aliis committantur, nec avocentur, neque appellationes, ab eisdem interposita, per Superiores quoscunque recipiantur, earumque commissio vel inhibitis fiat, nisi à definitiva, vel definitiva vim habente &c.*

## CAPUT VIII.

### De Arbitris.

#### SUMMARI A.

1. In causis famosis non potest dari arbiter. 2. Præterquam in quibusdam contractibus, in quibus dolus infamat. 3. & 4. Quò sensu standum sit arbitri sententiæ. 5. Reductio ad ar-

bitrium boni viri, antehac à nobis concessa, denudò confirmatur. 6. & seqq. Formantur tres objectiones. 9. & seqq. Sigillatim confutantur.

## QUÆSTIO I.

*Utrum in causis famosis aliquando possit arbiter constitui?*

**N**on posse, decisum est in *l. non distinguemus 32. §. 6. ff. de Recept. qui arbit. verb. famoso delicto*. Cui quidem decisioni advertari videtur, quod tradit Jctus Ulpianus in *l. quid ergo 13. §. 5. ff. de his, qui not. infam. dum, ex compromisso*, ait, *arbiter infamiam non facit*; quasi videlicet sint aliquæ causæ famosæ, in quibus arbiter possit constitui: attamen, cum datur contractus aliqui, v. g. tutelæ, mandati, depoñti, pro socio, qui ad infamiam per se non diriguntur, sed ob dolum admittuntur, secutâ condemnatione, infamiam interunt, id voluit innuere Ulpianus, quòd, si in ejusmodi negotiis ad arbitrum recurratur, factâ quoque condemnatione ex dolo, non oriatur infamia, additâ ratione, quia (ejus pronuntiatio) non per omnia sententia est. Igitur de talibus causis arbiter dari potest, non item de delictis famosis. Huberus ad *cit. tit. num. 4.*

miam per se non diriguntur, sed ob dolum admittuntur, secutâ condemnatione, infamiam interunt, id voluit innuere Ulpianus, quòd, si in ejusmodi negotiis ad arbitrum recurratur, factâ quoque condemnatione ex dolo, non oriatur infamia, additâ ratione, quia (ejus pronuntiatio) non per omnia sententia est. Igitur de talibus causis arbiter dari potest, non item de delictis famosis. Huberus ad *cit. tit. num. 4.*

## QUÆSTIO II.

*Quò sensu arbitri sententiæ standum sit, siue equa siue iniqua fuerit?*

**B**reviter ad mentem nostram, *hoc cap. à num. 192.* expressam, respondet Huberus d. *l. n. 7. & 8.* esse standum, si partes consentiant (id est, ut vulgò dicitur, homologaverint) aut expressè, se subscribendò, aut

tacitè lapsis diebus decem juxta *l. penult. Cod. d. t.* Item esse standum, vel solvendam poenam, de qua convenerunt; vel, si summa non sit determinata, ad incertum agendum esse *l. ex compromisso 2. l. diem 27. §. ult. ff. eod.*

## QUÆSTIO III.

*An detur à laudo arbitri reductio ad arbitrium boni viri?*

**P**ro affirmativa, quam, ut opinor, validè probavi *hoc cap. à n. 184.* noviter militarunt Clariss. DD. P. Benedictus Schmier ad *h. t. num. 12.* & P. Placidus Böckh *ibid. n. 11.*

eamque moribus receptam testatur Huberus *cit. l. num. 9.*

In favorem negativæ opponi potest I. reductioem esse superfluum, cum, si laudum nec-